

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Doctrina siue doctor bf
cum fonte primo

In exordiendo causam seruandum est
ut lenis sit sermo, ut usitata uerborum consuetudo,
ut non apparata oratio uideatur.
Viciosum exordium est

quod nimis apparate compositum est
aut nimium est longum,
et quod non ex ipsa causa natum uidetur
ut proprie cohaereat cum narratione,
et quod neque beniuolum, neque docilem,
neque attentum facit auditorem.

Tullius II. rethorice.

Exordienda causa seruandum est,
ut lenis sit sermo et usitata uerborum consuetudo,
ut non adparata uideatur oratio esse.
Vitiosum exordium est,
quod in plures causas potest adcommodari,
quod vulgare dicitur.
Item vitiosum est,
quo nihilo minus adversarius potest uti,
quod commune appellatur;
item illud, quo adversarius ex contrario poterit uti.
Item vitiosum est,
quod nimium apperatis compositum est
aut nimium longum est;
et quod non ex ipsa causa natum uideatur,
ut proprie cohaereat cum narratione;
et quod neque beniuolum neque docilem
neque adtentum facit auditorem.

Anonymus, *De ratione dicendi ad C. Herennium*
libri IV., 1.7 (F. Marx ed., p.9, ll.5-17).